AUTHOR:

SAUPPE, HERMANN

TITLE:

COMMENTATIO DE INSCRIPTIONE...

PLACE:

GOTTINGAE

DATE:

[1862]

Master Negative #

93-81319-18

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Sauppe, Hermann, 1809-1893.
... Commentatio de inscriptione eleusinia.
Gottingae, Officina academica Dieterichiana, [1862]
12 p. 26 cm.


Index scholarum, Göttingen, 1861/62.

Volume of pamphlets


Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 REDUCTION RATIO: 13x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 4.23.93 INITIALS SS
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT








AIIM


Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202


Centimeter



Inches







MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

INDEX SCHOLARUM

PUBLICE ATQUE PRIVATIM

IN ACADEMIA

GEORGIA AUGUSTA

PER SEMESTRE HIBERNUM

A D. XV. M. OCTOBRIS A. MDCCCLXI. USQUE AD D. XV. M. MARTII A. MDCCCLXII.

HABENDARUM.



Praemissa est Hermanni Sauppii commentatio de inscriptione eleusinia.

GOTTINGAE

TYPIS EXPRESSIT OFFICINA ACADEMICA DIETERICHIANA.

(VIL. FR. KAESTNER.)

ACADEMIAE GEORGIAE AUGUSTAE
PRORECTOR
HERMANNUS SAUPPE D.
CUM SENATU.

Ludovicum Prellerum, hominem eruditissimum, virum candidissimum, Georgiae Augustae alumnum et doctorem, his literis nostris et amicis suis praematura morte ereptum esse nuntius tristissimus iis ipsis diebus ad me allatus est, quibus quid indici scholarum hibernarum more academico praefarer mecum agitabam. Ac dum dolore perculsus annorum, quos cum amico desideratissimo communione studiorum et omnis vitae coniunctus transegi, gratam apud animum memoriam repeto et quam multis ille libris ingenii ubertate, iudicii subtilitate, eruditionis elegantia insignibus nomen illustratum relinquat, cum gaudio doloris pleno considero, etiam *de titulo corporis boeckhiani septuagesimo primo* cogitatio mihi iniecta est, cuius Prellerus in libro de Cerere et Proserpina plus semel mentionem fecit. In qua inscriptione gravissima cum mihi rectius quaedam, quam ab Augusto Boeckhio factum est, constituisse viderer et explicavisse, ea breviter hac scriptione publica a me exponi eo magis convenire existimavi, quod eos omnes, quorum haec legere interest, eiusdem doloris sensu permoveri intelligo.

Ricardus igitur Chandler inscriptionum antiquarum (Oxonii 1774) p. XXV »in atrio domus Graeci cuiusdam, templum Thesei versus, ingentem tabulam marmoream, duobus lateribus et parte, qua crassa est, inscriptis, exstare« dicit et quae in hac postrema parte, quam se unam legere potuisse queritur, invenisse sibi visus erat, p. 54 (2, 26) publicavit. Postea vero cum lapis ille in Museum britannicum illatus esset (catal. mus. 309), Augustus Boeckhius in corp. inscr. graec. vol. I p. 107 sq. apographa trium laterum ab Hugone Iacobo Rosio »non sine maximo labore« facta et ad se transmissa dedit. Idem Rosius deinde lapide, ut videtur, iterum collato et diligentissime examinato in tabula XXX. inscriptionibus graecis vetustissimis (Cantabrigiae 1825) addita, quae ipsi scripta esse viderentur, typis, qui lapidis similitudinem referrent, impressa proposuit. Etiam Io. Franzius in elementis epigraphices graecae p. 115 ff. et Philippus Le Bas in itineris archaeologici volumine secundo, quo inscriptiones continentur (1, 391), repeti inscriptionem iusserunt, sed, cum neque lapidem ipsi viderint neque ad titulum vel rectius legendum vel explicandum quidquam contulerint, omitti possunt. Cum vero Chandlerus inscriptionem ad Solonis leges pertinere opinatus esset, Boeckhii et Rosii studiis coniunctis effectum est, ut ad mysteria Atheniensium maiora et minora eam referendam esse perspicue intelligamus: v. Boeckh. l. d. p. 108 sq. et p. 890. Rosius l. d. p. 242 sqq. quibuscum ea

conferenda sunt, quae C. O. Müllerus script. german. min. 2 p. 267 sq. exposuit, recte ille inscriptionem gravissimam in rebus eleusiniis miratus neglectam esse. Ac quae in latioribus lapidis lateribus duobus scripta fuerunt, eorum quanquam nunc ea est conditio, ut pauca tantum vocabula legi possint, quaenam fuerit verborum comprehensio, quae sententia, etiam maxima vis ingenii et accuratissima eruditio frustra quaesiturae esse videantur, id tamen manifestum est pertinuisse omnia ad rationes mysteriorum ordinandas. Equidem his lateribus omissis de iis tantum dicam, quae in uno laterum angustiorum scripta esse videantur. Et Boeckhius quidem haec ita legenda esse censuit:

[Τ
Α]ΜΕΝΗΑΚΟΣΙ[Α
Η]ΑΠΨΕΙΤΑΔΕ[Η
Ε]ΚΟΣΙΑΔΙΠι[Ε
Ι]ΣΠΟΝΔΑΣΕΙΝ
ΑΙ]ΤΟΙΣΙΜΥΣΤ[Ε
ΙΣ]ΙΝΚΑΙΤΟΙ[Σ
ΕΠΟ]ΠΤΕΙΣΙΝ[Κ
ΑΙ]ΤΟΙΣΑΚΟλ[Ο
ΥΘ]ΟΙΣΙΝΚΑΙ[Δ
Ολ]ΟΙΣΙΝΤΟ[ΝΑΘ
ΕΝ]ΑΙΟΝΚΑΙ[ΑΘ
ΕΝ]ΑΙΟΙΣΙΝ[ΗΑ
Π]ΑΣΙΝΑΡΧΕ[ΝΔ
Ε]ΤΟΝΧΡΟΝΟ[ΝΤ
ΟΝΣΠΟΝΔΟΝ[ΤΟ
ΜΕΤΑΛΛΕΙΤΝΙ[Ο
ΝΟΣΜΕΝΟΣΑΠ[Ο
ΑΡΧΟΜΕΝΙΑΣ
Κ]ΑΙΤΟΝΒΟΕΔΡ
Ο]ΜΙΟΝΑΚΑΙΤΟ
ΠΥ]ΑΝΟΦΣΙΟΝΟ[Σ

ΜΕΧΡΙ·ΔΕΚΑΤ[Ε
ΣΗΙΣΤΑΜΕΝΟ[Τ
ΑΣΔΕΣΠΟΝΔΑΣ
ΕΙΝΑΙΕΝΤΕΙ[Σ
ΙΠΟΨΕΣΙΝΗΟ[Ι
ΑΝΧΡΟΝΤΑΙ[ΤΟ
Ι]ΗΙΕΡΟΙΚΑΙΑ
ΘΕΝΑΙΟΙΣΙΝΕ
ΚΕΙΕΝΤΕΙ[ΣΙΝ
ΑΥΤΕΣΙΠΟΨΕ[Σ
ΙΝΤΟΙΣΙΔΙΟΙΣ[Μ
ΕΙΖΟΣΙΜ[Υ]ΣΤΕ
ΡΙΟΙΣΙΝ[Τ]ΑΣ[Σ
ΠΟΝΔΑΣΕΙΝΑΙ[Α
ΠΟΛΛΑΜΕΨΙΟΝΟ
ΣΜΕΝΟΣΑΠΟΑ[Ρ
Χ]ΟΜΕΝΙΑΣΚΑ[Ι
ΤΟΝΑΝΘΕΣΤΕ[Ρ
ΙΟΝΑΚΑΙΤΟΕΨ
ΑΦΕΒΟΨΙΟΝΟ[Σ
ΜΕΧΡΙΔΕΚΑΤ[Ε
ΣΗΙΣΤΑΜΕΝΟ

Intelligendum vero est in lapide *Π* literae crus dextrum non usque ad lineam descendere, *Σ* non quaternis, sed ternis lineolis constare, etiam *Α, Φ, Ν, Ζ* literarum pariter atque *Γ* et *Λ* formas antiquiores esse, denique, quod ne Boeckhius quidem imitatus est, *Β* et *Ρ* formas non esse rotundas, sed angulares. Apparet haec *στοιχηδὸν* scripta esse, ut versus undenas literas habeant. Quare miratus sum, cum hanc inscriptionem in scholis epigraphicis accuratius pertractarem, quod Boeckhius versui 18 decem, versibus 5. 10. 21. 35 duodenas, 32 tredecim tribui posse existimavit. Quod cum per se in titulo illius aetatis parum verisimile sit, accedit, quod v. 21 ut duodecim literae tribuendae esse viderentur errore Chandleri factum est, quem nescio cur Boeckhius sequi maluerit quam Rosium. Is enim versus 18 et proximos in lapide sic scriptos esse testatur

. ΡΧΟΜΕΝΙΑΣ .
. ΙΤΟΝΒΟΕΔΡΟ
. ΙΟΝΑΚΑΙΤΟ .
. ΑΝΟΦΣΙΟΝΟΣ

ut appareat legendum esse

. . ΧΟΜΕΝΙΑΣ[Κ
Α]ΙΤΟΝΒΟΕΔΡΟ
Μ]ΙΟΝΑΚΑΙΤΟ[Π
Υ]ΑΝΟΦΣΙΟΝΟΣ

nam sic re vera literas in lapide positas esse ectypon mihi persuasit, quod Georgii Bühleri, Ph. D., viri doctissimi et amicissimi, qui nunc Londini literis indicis operam dat, precibus meis humanissime obsecuti rogatu viri eruditissimi, quibus eae res in museo britannico curae sunt, chartis madidis faciendum curarunt. Deinde in v. 5. 6 non opus esse *ΜΥΣΤ[ΕΙΣ]ΙΝ* scribi, sed *ΜΥΣΤΕΣΙΝ* ferri posse ostendit *ΑΥΤΕΣΙ*, quod quin in v. 31 scriptum sit dubitari non potest. Nam ut in adverbiis *Ἀθήνησι, Περγαλῆσι, Ἀγρυλῆσι, Ἀλωπεκῆσι,* similibus constanter *ῐ* omittitur (cf. Rang. ant. hell. 56 sqq. C. Keil Onomatol. p. 33) nec scribitur nisi *ταμίασι* (Boeckh. oecon. publ. Ath. 2 p. 66), sic dativi primae declinationis in titulis antiquioribus *ῐ* modo habent, modo non habent: in Methonensium inscriptione (Rang. 250. Inscript. macedon. quatuor. Vimar. 1847 p. 7. 15. Boeckh. oecon. publ. Ath. 2 p. 749) v. 14 fuit *τῆσι,* v. 43 est *τῆσι.* Sic *ἐπιστάτησι* in Rang. 114 et 123 (Boeckh. oec. 2 p. 340. 343), *ἐπὶ τῆσι δίκη[σι* sive *δίκη[ισι* Boeckh. C. inscr. 73. c. p. 894. Recte igitur apud poetas tragicos neque cum Fr. Ellendtio (lex. Sophocl. 2 p. V sqq.) formas in *ησι* omnes neque *ι* in his formis cum P. Elmsleio (Med. 466) reiciendum esse Th. Bergk. iudicavit praef. Sophoclis p. VI. — Sed redeo ad titulum eleusinium. V. 35 Boeckhius existimabat *ἀ* addendum esse, quia in Chandleri apographo et Rosii eo, quod Boeckhio miserat, prima litera v. 36 *Π* erat. Sed cum Rosius in libro suo *Τ* eam esse testatus esset, Boeckhius ipse p. 890 in v. 35 *ἀ* non addendum esse intellexit. In ectypo meo *Τ* satis certis vestigiis dignoscitur. — Duo versus restant, quorum plures quam undecim literas fuisse Boeckhius opinatus est. Ac quae inde a v. 4 legi voluit: *σπονδὰς εἶναι τοῖσι μύστῃσιν καὶ τοῖς ἐπόπτῃσιν καὶ τοῖς ἀκολούθοισιν καὶ δούλοισιν τῶν Ἀθηναίων καὶ Ἀθηναίοισιν ἅπασιν,* ea satis mire dicta sunt: cur enim comites et servi Atheniensium nominantur ante Athenienses ipsos? Quid scriptum fuerit, docere potest locus Thucydidis, cuius exemplo *ἀκολούθοισιν* Rosius invenit. 4, 118 apud illum in instrumento indutiarum annuarum haec scripta sunt: *κήρυκι δὲ καὶ πρεσβείᾳ καὶ ἀκολούθοις, ὁπόσοις ἂν δοκῇ, περὶ καταλύσεως τοῦ πολέμου καὶ δικῶν ἐς Πελοπόννησον καὶ Ἀθήναζε σπονδὰς εἶναι ἰοῦσι καὶ ἀπιοῦσι καὶ κατὰ γῆν καὶ κατὰ θάλασσαν.* Sed quod Rosius substituit *τῶν ἐποπτῶν*, id ipse intellexit parum aptum esse, cum non epoptarum tantum, sed etiam mystarum mentio praecedat. Nimirum scribendum est *καὶ τοῖς ἀκολούθοισιν καὶ δούλοισιν τοῖς τούτων καὶ Ἀθηναίοισιν ἅπασιν.* Nam quod Rosio in v. 11 . . *ΑΙΟΝ* lapis habere visus est, id ne ipsum quidem impedivit, quominus *ἐ[πο]πτῶν* putaret legendum esse ac Chandler

. . . *TON* dedit, nunc vero neque in ectypo quidquam expressum est neque Bühlerus lapide iterum meo rogatu accuratissime inspecto literarum vestigia dignoscere potuit. Repetitionem articuli ante genitivos pronominum demonstrativorum legitimam esse primus mihi videor observasse ad Isaei or. 9 §. 10. — Denique videndum est de v. 32, sed amplio: nam difficillimam quaestionem non posse tractari intelligo nisi aliarum rerum arctissime coniunctarum accuratiore praemissa explicatione. Nisi quod hoc unum iam nunc dicendum est, de cuius loci ne sententia quidem constet, in eum non licere inferri, quod legis alicuius constantiam et aequabilitatem turbet.

In v. 18 Chandler *ΑΡΧΟΜΕΝΙΑΣ,* Rosius . *ΡΧΟΜΕΝΙΑΣ* in lapide esse dicunt, in vv. 37 sq. uterque *Α.* | . *ΟΜΕΝΙΑΣ.* Quo factum est, ut neque Boeckhius neque quisquam eorum, qui inscriptione usi sunt (ut O. Müller l. d., L. Ideler enchirid. chronolog. I p. 277. 279, alii), dubitarent, quin *ἀπὸ ἀρχομηνίας* utroque loco legendum esset. Sed primum hoc vocabulum hoc uno loco exstat, cujus natura ferret, ut si exstaret saepe usurpatum inveniremus. Neque verisimile est primum mensis diem duobus nominibus appellatum esse propriis, quem *νουμηνίαν* dictum consentiunt omnes (Ideler l. d. p. 279), alio vero atque proprio nomine eum diem in hac inscriptione notari non potuisse quis est qui non intelligat? Deinde cur v. 18 *τὸν Βοηδρομιῶνα* et v. 43 *τὸν Ἀνθεστηριῶνα* dicitur, v. 15 vero *τοῦ Μεταγειτνιῶνος μηνός,* et v. 36 *τοῦ Γαμηλιῶνος μηνός,* si indutiae non minus per hos menses totos durabant quam per illos? Denique cur domum Athenis redeuntibus decem tantum dies utroque loco conceduntur, Athenas vero proficiscentibus triginta? Haec cum considerarem, *ἀρχομηνίας* ferri non posse intellexi et quaerens, quid eius loco dici potuisset, facile *διχομηνίας* inveni, quod sententiae apprime convenit. Hesychius: *διχομηνία· τὸ ἥμισυ τοῦ μηνὸς [ἤτοι] τῆς σελήνης, ὅτε πληροσέληνός ἐστι. διχομηνιαία, ὅτε* (nisi hoc errore ex priore versu huc illatum est) *πεντεκαιδεκαταία.* ubi non recte M. Schmidt *διχομηνίαια* scripsit. Suidas: *διχομηνία· τοῦ μηνὸς τὸ ἥμισυ. Καὶ Διχομηνιαία, πεντεκαιδεκαταία τοῦ μηνὸς ἢ τῆς σελήνης.* Cf. Varini Phavor. diction. p. 520, 10. Plutarchus Dion. c. 23: *ἡ δὲ σελήνη διχομηνίαν ἦγε.* de facie in orbe lunae p. 932. E: *ἐκλείπει γὰρ οὗτος* (sol) *μὲν σελήνης, σελήνη δὲ γῆς ἐν μέσῳ τῶν τριῶν ἱσταμένης· ὧν γίνεται τὸ μὲν ἐν συνόδῳ, τὸ δ' ἐν διχομηνίᾳ.* Geminus isagog. c. 6 (Ptolem. Halmae 3 p. 40): *πανσέληνος δὲ λέγεται, ὅταν ἡ σελήνη κατὰ διάμετρον γένηται τῷ ἡλίῳ· τοῦτο δέ ἐστι περὶ τὴν διχομηνίαν.* Achilles Tatius Isag. in Arati Phaenom. c. 21 (Petavii Uranolog. p. 141): *πληρωθεῖσα δὲ γίνεται πληροσέληνος καὶ πανσέληνος καὶ διχόμηνις· πεντεκαιδεκαταία γάρ ἐστι πληρωθεῖσα· ὅ ἐστιν ἥμισυ μηνός, διχαζομένων τῶν λ' ἡμερῶν.* Pindarus Ol. 3, 19: *ἤδη γὰρ αὐτῷ, πατρὶ μὲν βωμῶν ἁγισθέντων, διχόμηνις ὅλον χρυσάρματος ἑσπέρας ὀφθαλμὸν ἀντέφλεξε Μήνα.* Isthm. 7 [8], 44: *ἐν διχομηνίδεσσιν δὲ ἑσπέραις ἐρατὸν λύοι κεν χαλινὸν ὑφ' ἥρωι παρθενίας.* quo loco haec in cod. Med. B adnotata Tycho Mommsen, vir amicissimus, in diurnis lit. ant. 1848 p. 132 publicavit: *ἐν διχομηνίδεσσι δ' ἡμέραις. τουτέστιν ἐν ταῖς τῆς πανσελήνου νυξί. κατὰ ταύτας γὰρ ἐποίουν τοὺς γάμους. ἀντὶ τοῦ διαπαρθενευέτω ἐν τῇ πανσελήνῳ νυκτί. ὁ δὲ νοῦς· ἐν δὲ ταῖς νυξὶ ταῖς καταλαμπομέναις τῇ σελήνῃ τὸν ἐπέραστον τῆς παρθενίας ὑπολύοι δεσμὸν τῷ ἥρωι Πηλεῖ.*

Neque vero *quintum* decimum, sed *quartum* decimum fuisse mensis diem ostendit Ideler l. d. p. 339 sqq. Quanquam igitur non dubitabam, quin *διχομηνίας* utroque loco legendum esset, tamen haec maxime causa fuit, cur ectypon lapidis nancisci cuperem. In quo ectypo v. 18 . *ΙΧΟΜΕΝΙΑΣ* et v. 37 sq. *Δ* . | . *ΟΜΕΝΙΑΣ* ita expressum est, ut de literis *Ι* et *Δ* ambigi vix possit, easque in lapide manifesto exstare Bühlerus eo iterum identidem collato testificatur, primam vero literam v. 18, ultimam v. 37 et primam v. 38 prorsus obliteratas esse.

Sed haec facilia fuerunt demonstratu: venimus ad difficiliora et quae mihi ne ipse quidem omnia ita expedivisse videor, ut nihil iam dubitationis habeant. Versibus 24 et proximis haec in ectypo manifesto apparent:

ΑΣΔΕΣΠΟΝΔ . .
ΕΙΝΑΙΕΝΤΕΙ .
. ΠΟΙ ΕΣΙΝΗΟ .
ΑΝΧΡΟΝΤΑΙΤ .
. ΗΙΕΡΟΙΚΑΙ .
ΘΕΝΑΙΟΙΣΙΝΕ
. ΕΙΕΝΤΕ . . Ι

Dubitari igitur non potest, quin habeantur vocabula: *τ]ὰς δὲ σπονδ[ὰς] εἶναι ἐν τῇ[σι] πόλεσιν ὁ. αν χρῶνται τ[ῷ] ἱερῷ καὶ [Ἀ]θηναίοισιν ἐ[κ]εῖ ἐν τῇσι,* sed quanam haec dici sententia existimabimus, quid literis *ὁ. αν* faciemus?

Apparet iis quae praecedunt constitutum esse, ut qui ad mysteria Athenas proficiscerentur inde a die quarto decimo mensis Metagitnionis usque ad decimum mensis Pyanepsionis et euntes et Athenis commorantes et redeuntes securitatem haberent; quibus nihil praecipitur, in illis ipsis civitatibus, quarum incolae ad Eleusinia vel proficiscantur vel profecti sint, quam vim indutiae sacrae habeant. Hoc iis verbis, de quibus agimus, contineri praepositio *ἐν* videtur indicare. Neque tamen verborum *τὰς δὲ σπονδὰς εἶναι ἐν τῇσι πόλεσιν* plena est sententia: nam neque indicatur hoc novum accedere ad ea, quae antea constituta erant, quod ut fieret, dicendum erat *τὰς δὲ σπονδὰς εἶναι καὶ ἐν τῇσι πόλεσιν* (Boeckhius: *comprehendi etiam alias civitates, quae sacris utantur*), neque ad quosnam indutiarum securitas in illis civitatibus pertineat intelligimus, cum cives ipsi eam non opus habeant et, si quis de mutuis illarum civitatium inter se rationibus cogitare voluerit, ne sic quidem particula illa *καὶ* carere possimus. In iis igitur, quae sequuntur, indicatos esse eos necesse est, qui securitate indutiarum in civitatibus illis fruantur. Sequitur, ut verba *καὶ Ἀθηναίοισιν ἐκεῖ* cum iis, quae praecedunt, coniungenda esse intelligamus, hoc sensu: *indutiae pertinent in urbibus etiam ad Athenienses, qui ibi commorantur*, quanquam negari non potest verba *Ἀθηναίοισιν ἐκεῖ* paulo insolentius dicta esse. Quid vero illis literis *ὁ. αν* fiet? Rosius p. 244 *ὅσαι χρῶνται τῷ ἱερῷ,* Boeckhius primum (apud Rosium p. 243) *ὅταν χρῶνται οἱ ἱεροί,* deinde (apud Rosium p. 246) *ὅσαι ἂν χρῶνται τῷ ἱερῷ,* denique in corp. inscript. *οἳ ἂν χρῶνται τῷ ἱερῷ* legi voluit neque haec ita explicari posse existimat (p. 890), ut *τούτοις* ante *οἳ* cogitando addatur, sed ut enuntiatio relativa ad ipsas urbes definiendas pertineat, ut apud Homerum est Od. ψ, 318: *ἠδ' ὡς Τηλέπυλον Λαιστρυγο-*

νίην ἀφίκανεν, οἵ νῆάς τ' ὤλεσαν καὶ ἐυκνήμιδας ἑταίρους. Thucyd. 6, 94: παρέπλευσαν ἐπὶ Μεγάρων τῶν ἐν τῇ Σικελίᾳ, οὓς ἐπὶ Γέλωνος τοῦ τυράννου — ἀναστήσαντες Συρακόσιοι αὐτοὶ ἔχουσι τὴν γῆν. Quanquam id recte dici concedo, cum τούτοις suppleri ne sententia quidem permittat, tamen acquiescendum esse in pristina Boeckhii coniectura ὅταν existimo, qua non tantum urbes, ad quas fides indutiarum pertineat, definiuntur, sed apte etiam, qua conditione indutiae ibi vim habiturae sint, indicatur. Neque enim necesse fuit, si quarum urbium cives quidam Athenas et Eleusinem proficisci solebant, eos quotannis id facere; si quando non profecti essent, ne in urbibus quidem ipsis Athenienses, qui ibi erant, beneficiis indutiarum fruebantur.

Quae sequuntur in inscriptione a v. 34, ad mysteria minora mense Anthesterione illa celebrata referenda esse praeclare vidit Boeckhius, de quibus mysteriis exposuerunt post Ism. Bullialdum ad Theonem p. 215 sqq. et Sam. Petitum legg. att. p. 99 sqq. Lobeckius Aglaophami p. 31 sq. C. O. Müller script. germ. min. 2 p. 269 sqq. Leak. topogr. Athen. p. 182. Hermann. antiqu. sacr. graec. §. 58, 25 sqq. Welcker mythol. gr. 2 p. 546 sq. Schoemann. antiqu. gr. 2 p. 343. Preller de Cer. et Proserp. p. 120 et mythol. gr. 1 p. 616 sq. Neque tamen veri simile est mentionem eorum nulla copula addita inferri: τὰς σπονδὰς εἶναι τοῦ Γαμηλιῶνος μηνὸς ἀπὸ διχομηνίας καὶ τὸν Ἀνθεστηριῶνα καὶ τοῦ Ἐλαφηβολιῶνος μέχρι δεκάτης ἱσταμένου. Quod contra et haec verba τοῖς . . . μυστηρίοισιν et illa ἐν τῇσιν αὐτῇσι πόλεσιν videntur eam vim habere, ut transitum ad rem novam faciant. Coniunxit illa quidem Boeckhius cum prioribus, ita ut καὶ Ἀθηναίοισιν ἐκεῖ ἐν τῇσι αὐτῇσι πόλεσι τοῖς ἰδίοις μείζοσι μυστηρίοισιν scriberet et haec ex iis quae praecedunt τὰς δὲ σπονδὰς εἶναι pendere vellet: *atque eos Atheniensium, qui in alienis illis civitatibus habitant, in suis his (hoc est Atticis) maioribus mysteriis itidem indutiarum beneficio frui.* Sed haec ne ipsi quidem nunc satisfacere existimaverim. Nam quid hoc est: τοῖς ἰδίοις μείζοσι μυστηρίοισιν? Hoc additamentum ita tantum aptum fuisset, si hic de aliis mysteriis maioribus, quam de quibus in hoc titulo agitur, cogitari posset aut, ut verius dicam, si alia mysteria maiora ulla exstarent: at nulla exstitisse certum est. Neque id omittendum est hac coniectura sensu non commendata id effici, ut versus 32 tredecim literas habeat, quod quam per se parum verisimile sit ex iis quae supra vidimus perspicuum est. Denique verba καὶ Ἀθηναίοισιν ἐκεῖ videmur cum prioribus coniungenda esse ostendisse. Quodsi a verbis ἐν τῇσιν αὐτῇσι πόλεσιν nova pars huius sive legis sive foederis incipit, sequitur, ut quaeramus, quo nomine minora illa mysteria appellari potuerint. Ac σμικρὰ dicta esse cum Plato Gorg. p. 497. C ostendit: εὐδαίμων εἶ, ὦ Καλλίκλεις, ὅτι τὰ μεγάλα μεμύησαι, πρὶν τὰ σμικρά. tum schol. h. l. p. 354 Bk.: διττὰ ἦν τὰ μυστήρια παρ' Ἀθηναίοις, καὶ τὰ μὲν μικρὰ ἐκαλεῖτο, ἅπερ ἐν ἄστει ἐτέλουν, τὰ δὲ μεγάλα, ἅπερ Ἐλευσῖνι ἤγετο., schol. Aristoph. Plut. 845. 1013, alii, quos postea afferam, testantur. ἐλάττονα unus, quod sciam, Polyaenus vocat 5, 17: ταῦτα μὲν δὴ συνέθεντο παρὰ τὸν Ἰλισσόν, οὗ τὸν καθαρμὸν τελοῦσι τοῖς ἐλάττοσι μυστηρίοις. Sed proprium nomen fuisse τὰ ἐν Ἄγρας Pausanias auctor est fide dignissimus,

ex cuius lexico rhetorico ea excerpta esse, quae in Bekkeri anecd. p. 326 (cl. p. 334, 11) exstant, ostendit Eustathius ad Il. *B,* 852 p. 361, 38 (cf. Ruhnk. ad Tim. p. 223 et M. E. Meier comment. andocid. 6 p. 17). In anecd. haec leguntur: Ἄγραι· χωρίον ἔξω τῆς πόλεως Ἀθηνῶν, οὗ τὰ μικρὰ τῆς Δήμητρος ἄγεται μυστήρια ἃ λέγεται τὰ ἐν Ἄγρας, ὡς ἐν Ἀσκληπιοῦ. ἐπὶ Ἄγρᾳ dixit Clemens Alex. protrept. c. 2, πρὸς Ἄγραν Plutarchus Demetr. c. 26: τὰ μικρὰ τοῦ Ἀνθεστηριῶνος ἐτελοῦντο, τὰ δὲ μεγάλα τοῦ Βοηδρομιῶνος· ἀλλὰ Στρατοκλέους γνώμην εἰπόντος Ἀνθεστηριῶνα τὸν Μουνυχιῶνα ψηφισαμένους καλεῖν καὶ νομίζειν ἐτέλουν Δημητρίῳ τὰ πρὸς Ἄγραν. Ac quanquam Ἄγραι nomen quin fuerit illius regionis nos dubitare non sinunt Pausanias 1. 19, 7 aliique, ἐν Ἄγρας tamen Athenienses dixisse lapis testis est gravissimus (Ἀρχαιολ. ἐφημ. 1853, 1204 = 1324), quem A. Boeckhius tractavit in nuntiis menstruis acad. berol. 1853 p. 573 sq. In quo lapide cum legatur v. 22 Μητρὸς ἐν Ἄγρας, etiam Clidemo in Bekk. anecd. l. d. reddendum esse existimo: καὶ ἐν τῷ τετάρτῳ· εἰς τὸ ἱερὸν τὸ Μητρῷον τὸ ἐν Ἄγρας (in cod. est ἄγραις). Quo loco, ut hoc in transcursu moneam, antea fortasse legendum est: τὰ μὲν οὖν ἀνωτάτω (hoc cum O. Müllero Ad topogr. Ath. epist. ad P. Forchh. p. 21) Ἰλισσοῦ πρὸς Ἄγραν Εἰλήθυιαν, ut Artemis ibi dicta sit Agra Ilithyia, quo fortasse pertinet quod Pausanias Atticae l. d. memoriae prodidit: ἐνταῦθα Ἄρτεμιν πρῶτον θηρεῦσαι λέγουσιν ἐλθοῦσαν ἐκ Δήλου, coll. scolio attico apud Athen. 15 p. 694. D: ἐν Δήλῳ ποτ' ἔτικτε τέκνα Λατώ — ἐλαφηβόλον τ' ἀγροτέραν Ἄρτεμιν, ἃ γυναικῶν μέγ' ἔχει κράτος. Sed ut ad inscriptionem eleusiniam redeam, etiam in huius v. 32 sq. scripta haec fuisse coniicio:

ΙΝΤΟΙΣΙΕΝΑΛ
ΡΑΣΟΣΙΜΥΣΤΕ

h. e. τοῖσι ἐν Ἄγρας οὖσι μυστηρίοις, quanquam literarum vestigia, quae in lapide esse dicuntur, parum ei coniecturae conveniunt. Nam v. 32 Chandler ΙΝΤΟΙΣΙΔΙΟΙΣ, Rosius ΙΝΤΟΙΣΙΔΙΟ., Bühlerus . ΝΤΟΙ . ΣΔ . Ο . dignoscere sibi visi sunt, in ectypo nihil nisi . ΝΤΟ . . apparet, v. 33 vero ΡΙΖΟΣΙ Chandlerus, ΕΙΖΟΣΙ Rosius, Ζ etiam in ectypo videtur expressum esse. Sed cum literas prope exesas esse manifestum sit et mysteria Eleusine celebrata, quae τὰ μεγάλα multi dixerunt, qui τὰ μείζονα appellaverit, non invenerim, coniecturam meam necessitate quadam excusari existimo, incertam esse ipse scio.

Quae igitur in latere angusto mihi videntur scripta fuisse, haec sunt: τὰ μὲν ἀκούσια ἁπλῆ, τὰ δὲ ἑκούσια διπλῆ. σπονδὰς εἶναι τοῖσι μύστῃσιν καὶ τοῖς ἐπόπτῃσιν καὶ τοῖς ἀκολούθοισιν καὶ δούλοισιν τοῖς τούτων καὶ Ἀθηναίοισιν ἅπασιν. ἄρχειν δὲ τὸν χρόνον τῶν σπονδῶν τοῦ Μεταγειτνιῶνος μηνὸς ἀπὸ διχομηνίας καὶ τὸν Βοηδρομιῶνα καὶ τοῦ Πυανοψιῶνος μέχρι δεκάτης ἱσταμένου. τὰς δὲ σπονδὰς εἶναι ἐν τῇσι πόλεσιν, ὅταν χρῶνται τῷ ἱερῷ, καὶ Ἀθηναίοισιν ἐκεῖ. ἐν τῇσιν αὐτῇσι πόλεσιν τοῖσι ἐν Ἄγρας οὖσι μυστηρίοισιν τὰς σπονδὰς εἶναι τοῦ Γαμηλιῶνος μηνὸς ἀπὸ διχομηνίας καὶ τὸν Ἀνθεστηριῶνα καὶ τοῦ Ἐλαφηβολιῶνος μέχρι δεκάτης ἱσταμένου. De spiritu aspero vocis ἁκούσια, peculiari Atticorum eius pronuntiationis studio tribuendo,

nunc conferenda sunt, quae accuratissime C. Keilius exposuit in Schedis epigraphicis (Numburg. 1855) p. 6 sqq.

Quae vero fuerit ratio et natura eorum, quae in tribus lapidis lateribus inscripta fuerunt, dubitatum est. Ac Boeckhius quidem rectissime negavit (p. 890) has indutias ipsas esse (*τὰς μυστηριώτιδας σπονδάς:* Pollux 1 §. 36. Aristides 1 p. 419 Ddf.), quas Athenienses, cum Eleusiniorum dies festi instarent, nuntiis circum civitates et urbes graecas dimissis indicebant (Aeschin. 2 §. 133 *καὶ τοῖς σπονδοφόροις τοῖς τὰς μυστηριώτιδας σπονδὰς ἐπαγγέλλουσι μόνοι τῶν Ἑλλήνων Φωκεῖς οὐκ ἐσπείσαντο.* cf. §. 134. 138). Quod quominus existimemus, et hoc prohibet, quod quae in latere angusto leguntur ad duo sacra pertinent, quae ita in formula indutiarum coniungi non poterant, et ea obstant, quae in lateribus latis scripta fuisse aliquo modo divinare possumus. Nam ea de sacerdotibus, de pecuniis sacris, de ritibus quibusdam sollennibus, de iure sacro praecepta tam multa videntur et tam accurate exposita continuisse, ut brevitati formulae indutiarum publicae nullo modo convenirent. Sed ne Boeckhii quidem sententia veritatis speciem habet, pactionem in lapide inscriptam fuisse existimantis, quae ab Atheniensibus de sacris eleusiniis cum hostibus quibusdam, fortasse Lacedaemoniis, ante foedus triginta annorum (h. e. ante aestatem a. 445) facta esset. Nam etiam in pactionis vel foederis formula breviter et universe ea praecipiuntur, quae ad civitatum paciscentium rationes et officia mutua pertinent, non singillatim etiam ea omnia exponuntur, quae non communia sunt utriusque vel omnium civitatum, quae paciscuntur, sed magis alterius uniusve ex iis, inter quas convenit, propria. Sic in pactione de Eleusiniis verisimile est de securitate mystarum proficiscentium, commorantium, redeuntium, de temporibus indutiarum, de ratione, qua de peccatis, si quae admissa essent, iudicandum esset, de poenis quibusdam breviter expositum esse, sed de ritibus omnibus festorum dierum et iis, quae a mystis observanda essent, explicari singillatim non poterat: nam haec ad Athenienses tantum, sacrorum praesides, pertinebant.

Mihi quidem videtur potius populi scitum fuisse, quo omnia, quae cum sacris eleusiniis coniuncta essent, ab integro ordinarentur et constituerentur. Quod si quaeritur quando factum esse existimem, A. Boeckhio prorsus assentior de tempore, quo pax triginta annorum inter Lacedaemonios et Athenienses atque utrorumque socios ictum est, cogitandum esse. Nam cum forma literae Σ obstet, ne post a. 440 lapidem inscriptum esse iudicemus (cf. A. Boeckh. Corp. Inscr. 1 p. 894. de oecon. publ. Ath. 2 p. 589 sq. L. Ross. annall. philol. vol. 69 p. 534 et quae ego exposui in nuntiis soc. lit. saxon. lips. 1853 p. 46 sq.), et aliae formae satis antiquae, ut literarum *Α, Β, Ν, Γ, Δ*, in idem tempus conveniant nec de posteriore cogitari patiantur, tum aliae formae, ut *Η, Θ, Ε, Δ*, indicio sunt inscriptionem non multo antiquiorem esse posse. Neque vero antequam de pace illa convenit, Athenienses de sacris eleusiniis scivisse existimo, sed postquam pace sancita in eam spem inducti sunt, fore ut sacra illa iam tuto et magna visentium celebritate fierent. Nam ut postea deceleensis temporibus belli sacra eleusinia intermissa esse ex iis intelligimus, quae Xenophon Hellen. 1. 4, 20 et Plutarchus

Alcib. c. 34 narrant, sic ne ante pacem quidem triginta annorum Athenienses, cum Megarenses, Corinthios, Sicyonios infestos haberent, Eleusine tuto sacra obire potuisse existimandi sunt. Ac confirmatur haec sententia iis, quae Thucydides 1, 114 narrat: *καὶ μετὰ τοῦτο οἱ Πελοποννήσιοι τῆς Ἀττικῆς ἐς Ἐλευσῖνα καὶ Θριῶζε ἐσβαλόντες ἐδῄωσαν Πλειστοάνακτος τοῦ Παυσανίου βασιλέως Λακεδαιμονίων ἡγουμένου* (cf. 2, 21. Plut. Pericl. 22. E. Curtii hist. gr. 2 p. 152), neque potuit omnino fieri, quin Eleusis maxime incursionibus Peloponnesiorum vexaretur. Necessarium igitur fuisse dixeris pace facta sacrorum ordinem intermissorum denuo constitui et sanciri. Atque comparari aliquo modo potest inscriptio Andaniae nuper reperta, qua populi scitum contineri apparet, quo mysteriorum rationes in Carneasio celebrari solitorum denuo ordinatae sunt: de qua inscriptione exposui in commentariis soc. lit. gotting. 8 p. 217 sqq. Sed lapidis andaniensis latus dextrum angustum finem inscriptionis continere non minus manifestum est, quam ab initio decreti haud pauca deesse (cf. p. 224. 226). Quae cum in eo latere lato, in quo quae habentur A. Blastus descripsit, scripta non fuisse et partis superioris integritate et eo comprobetur, quod extrema verba lateris lati primis angusti ne uno quidem intermisso excipiuntur, vix quidquam aliud cogitari potest quam initium populi sciti in latere lato altero inscriptum fuisse, quanquam etiam alteram lapidum andaniensium partem latam inscriptam esse Blastus non tradidit. Quodsi tituli andaniensis quae in latere angusto scripta sunt, non media interiecta inter ea, quae in lateribus latis insculpta fuerunt, sed postrema decreti fuisse existimanda sunt, eandem esse etiam tituli eleusinii rationem perspicere videor neque quae in latere angusto leguntur media fuisse inter latera lata, quae Boeckhii sententia est. Nam prima lateris angusti verba *τὰ μὲν ἀκούσια ἁπλῇ, τὰ δὲ ἑκούσια διπλῇ* Boeckhius de ratione noxae, quam quis festis diebus nocuisset, resarciendae atque puniendae dicta esse et iuri attico prorsus convenire vidit, ac similia in titulo andaniensi constituuntur (v. §. 13). Ad iudicia vero et actiones etiam ea, quae in latere lato altero scripta erant, pertinuisse pauca quae legi possunt vocabula perspicuum faciunt: *ἐκπράξα[σθαι, τὸν ὀφλόντα, ἐν]έχεσθ[αι,* ac quae v. 12 dignosci potuerunt *ΗΥΣΤΕΡΟΝΗ* h. e. *τῇ ὕστερον ἡμέρᾳ* dubitari nequit, quin ad iudicium, quod de iis quae Eleusine commissa essent die post sacra sollennia proximo Athenis in Eleusinio a senatu quingentorum exercebatur, referenda sint. Cf. Andocid. 1 §. 111: *ἡ γὰρ βουλὴ ἐκεῖ* (in Eleusinio urbano) *καθεδεῖσθαι ἔμελλε κατὰ τὸν Σόλωνος νόμον, ὃς κελεύει τῇ ὑστεραίᾳ τῶν μυστηρίων ἕδραν ποιεῖν ἐν τῷ Ἐλευσινίῳ.* Cf. M. E. Meier in Rossii demis atticis p. IX sq. Continuantur igitur ea, quae in latere *c* leguntur, in latere angusto, ut huic locum tertium dandum esse intelligamus.

Hoc unum adicio, ab Andocide eum ipsum lapidem commemorari videri, de quo tractamus. Quae enim 1 §. 116 Cephalum dixisse narrat: *ὦ Καλλία, πάντων ἀνθρώπων ἀνοσιώτατε, πρῶτον μὲν ἐξηγῇ Κηρύκων ὤν, οὐχ ὅσιόν σοι ἐξηγεῖσθαι· ἔπειτα δὲ νόμον πάτριον λέγεις, ἡ δὲ στήλη παρ' ᾗ ἕστηκας χιλίας δραχμὰς κελεύει ὀφείλειν, ἐάν τις ἱκετηρίαν θῇ ἐν τῷ Ἐλευσινίῳ·* et quae addit: *ἐπειδὴ δὲ ἀνεγνώσθη ἡ στήλη κἀκεῖνος οὐκ εἶχεν εἰπεῖν ὅτου ἤκουσε, κα-*

ταφανὴς ἣν τῇ βουλῇ αὐτὸς θεὶς τὴν ἱκετηρίαν. ea ita comparata sunt, ut in lapide de quo nunc ipsum explicamus et ipsa scripta fuisse necessarium sit.

Haec, quae de titulo cum sacrorum eleusiniorum memoria coniuncto disputavi, a rebus vestris, Commilitones humanissimi, non aliena esse intelligitis, qui ipsi literarum sacris sanctissimis initiandi Georgiae Augustae, almae matris, scholas frequentare constituistis. Ac cum illud Lucretii verissimum esse sentiatis:

inque brevi spatio mutantur saecla animantum
et quasi cursores vitai lampada tradunt,

agite, annitimini, ut studiis acerrimis et labore assiduo animos iis virtutibus ornetis, quibus aliquando recte usi hoc breve vitae spatium agendo videbimini extendisse.

Scrib. Gottingae d. XIX. m. Julii a. MDCCCLXI.

RECITATIONES ORDINARIAE.

ORDINIS THEOLOGORUM.

J. G. REICHE, Dr., h. IX—X sexies per hebd. Apostoli *Pauli epistolas ad Corinthios* datas interpretabitur; h. XI—XII quinquies per hebd. *Isagogen in N. T. libros canonicos historico-criticam* tradet.

FRIDERICUS EHRENFEUCHTER, Dr., publice Seminarii regii homiletici exercitationes moderabitur die Sat. X—XII, item publice exercitationes catecheticas moderari perget die Sat. h. V—VI. Privatim *Theologiae practicae partem priorem* tradet, i. e. prolegomena, doctrinam de propagatione fidei, praecepta de arte catechetica, quater, dieb. Lun. Mart., Jov., Vener. h. III—IV. *Theologiae recentioris historiam ratione historiae culturae universalis habita* enarrabit quater p. hebd. dieb., Lun., Mart., Jov. et Vener. h. XI—XII.

J. A. DORNER, Dr., *Dogmatices christianae* partem alteram seu *Dogmaticen specialem* sexies per hebd. h. XII tradet, praeterea Epistolam Divi Pauli Apostoli *ad Romanos* datam quater h. IV exponet. *Societatem theologicam* die Merc. h. VIII—X moderari perget.

J. G. LUDOVICUS DUNCKER, Dr., publice *Historiam ecclesiasticam recentioris aevi* enarrabit quinquies p. hebd. h. III—IV. Privatim *Historiae ecclesiasticae partem priorem* tradet senis scholis h. VIII—IX.

L. F. SCHOEBERLEIN, Dr., publice *exercitationes liturgicas* sodalium seminarii practico-theologici moderabitur die Sat. h. IX—X et una cum Hille, Mus. Dir. Acad., *cantum ecclesiasticum* eos docebit die Merc. h. VI—VII; privatim *Symbolicen christianam* dieb. Lun. Merc. et Ven. h. XI—XII, *Liturgicen* et *Homileticen* quater h. V—VI tradet.

J. T. A. WIESINGER, Dr., publice *Seminarii homiletici exercitationes* die Sat. h. X—XII et *exercitationes catecheticas* die Merc. h. V—VI mode-

rabitur. Privatim *Ioannis Ap. evangelium et epistolas* quinis p. h. lectionibus h. IX—X interpretabitur.. *Pauli Ap. vitam et doctrinam* binis vel ternis p. h. lectionibus h. II—III publice tradet.

J. WAGENMANN, *Historiae ecclesiasticae partem secundam* sexies per hebdomad. hora VIII tradet; idem *societatem historicam theologicam* moderabitur.

* * *

FRID. GOD. RETTIG, Dr. ph., Gener. Super. Princ. Gotting., *publice* diebb. Merc. et Sat. hora II—III, vel alia commilitonibus commoda, *exercitationes catecheticas* sueto more moderabitur; *privatim* quatt. lect. hora X—XI. *praecepta artis catecheticae*, duce libello suo, tradet.

ORDINIS JURISCONSULTORUM.

GEO. JUL. RIBBENTROP, Dr., tradet hora XII—I *Institutiones juris Romani*; hora X—XI *Historiam juris Romani*; hora IV—V *doctrinam de hereditatibus.*

GUIL. THEOD. KRAUT, Dr., tradet *Historiam juris Germanici tam publici quam privati* sexies per hebdomadem h. X—XI. *Jus publicum Germaniae* sexies per hebd. h. XII—I. *Jus ecclesiasticum Evangelicorum et Catholicorum* quinis scholis h. III—IV.

GUIL. FRANCKE, Dr., *doctrinam Pandectarum* tradet h. IX—X et XI—XII.

H. A. ZACHARIAE, Dr., tradet: *Jus criminale* sexies per hebdom. hora XII; *Encyclopaediam juris* quater per hebd. hora XI; publice *jus confoederationis Germanicae* binis lectionibus hora II postmer.

H. CAROL. BRIEGLEB, Dr., sexies per hebd. h. XI—XII *theoriam processus civilis* tradet; quater per hebd. h. X—XI collegium *processuale practicum*, ter per hebd. h. III—IV *relatorium* instituet.

AEMIL. HERRMANN, Dr., quinis lectionibus *processum criminalem* tam communem quam qui hodie ex ordinationibus judiciorum poenalium obtinere coepit, docebit h. XI. *Jus ecclesiasticum* tum Catholicorum tum Evangelicorum quinis scholis h. IV. exponet. *De jure populi evangelici secundum principia ecclesiae evangelicae* bis per hebd. publice disseret.

HENR. THÖL, Dr., quinquies hora VIII—IX et IX—X *Jus germanicum privatum cum jure feudorum* tradet.

FRIDERICUS MOMMSEN, Dr., sexies per hebd. h. IX—X et h. XI—XII *doctrinam Pandectarum* tradet; bis per hebd. h. VI—VII *selectas Digestorum leges* interpretandas proponet.

ORDINIS MEDICORUM.

C. F. H. MARX, Dr., h. IV—V quinquies per hebd. doctrinam *de Remediorum effectibus atque usu, nec non artem formulas medicas concinnandi* tradet.

ED. C. J. DE SIEBOLD, Dr., h. VIII quat. p. hebd. *Artis obstetriciae*

